Segonda [illegible]

Generose Domine

1

Generose Domine Lukaszkiewicz

Amice Mi

CCERIS

Opuscula in his Miscellaneis sub IIIº contenta sunt.

1. Carmen gratulatorium in laudem Jng. adol. ab Alb. Deoyen. Crac. 1630
2. Debitum pietatis A.R. et Exc. Jac. Vitellio a Joach. Speronowic. Crac. 1638
3. Aurora natalium Jll. ac M.D. Adam. Hieron. Sieniawski Sub. Stan. Ośzedowski C. 1638
4. Hellanodicæ virtuti, quam cum fide &c. opera Joach. Speronowic Crac. 1638.
5. Elisei Aurimontani ad Dantiscanos bellum et arma circumspicientes Epist. 1638.
6. Vindiciæ p Cornelio Tacito a Nicol. Nowikowski Convitiatoris opposita Crac. 1638.
7 Arctos Sarmatica, quæ gener. Juv. ab Alb. Samborski monstrat. Crac. 1638.
8 Nubes Hippocratis Cl. ac Doct. Viro Andr. Wolfowicz a Thom. Canevesi dic. Crac. 1638.
9. Icon virtutis et laboris ~~[illegible]~~ Ven. ac Exc. D.D. a Nic. Fatowicz Crac. 1638.
10 Pietas erudita seu oratio de nexu piet. cum erudit. Joan. Alb. Paris. Crac. 1638.
11 Tiara Episcopalis Jll. ac Rmo D. Andr. Gębicki Eppo Luceor. a Daniel. Otrebusz. Crac. 1638.
12 Icon heroicæ virtutis Gen. ac M. Joan. Dębienski a Joan. Cynerski. Crac. 1639
13 Colossus immortalitatis Ser. ac Pot. Vlad. IV. a Balthas. Stan. Przyłuski Lublini 1638.
14 Felix Luceoria in primo ac solemni Andr. Gembicki &c. Balt. St. Przyłuski Lublini 1639
15 Planctus in obitum Jll. Dª Teclæ in Olyka Ducis. a Balt. Stan. Przyłuski Vars. 1637.
16 Nænia na śmierć nieśmiertelną Andrzeja Jaklinskiego Krak. 1638 p. M. J. C. R.
17 Acroama pietatis ad festu nuptiale &c. a Joan. Cynerski.
18. Processus causæ int. insig. et perfidum Marcum Judæum, Decretum Cr. 1636.
19. Aureus Trionis Sarmatici tripos a Ludov. Christoph. Millero Crac 1638.
20 Minerva plaudens in Aula D. Jagiellonis ab Adamo Nowakowski Cr. 1638.
21 Dona Gratiarum Ven. D. Mart. Stan. Wolfowic. p Valerianu Alnpek Cr. 1638.
22. Róża przesadzona z ziemie do nieba v kaz. pogrz. Mikol. Ławrinowicza Fr. Kr. 1638
23. Metamorphosis Apollinis et novæ Musæ a Joan. Nicol. Gąsiewski Crac. 1637
24. Ulrag. civis Jll. D. Stan. Lubomirski &c Joachim. Speronowicz. Crac. 1638.
25. Stephanion Studii Philosophici Rdo D. Sub. Stan. Ośzedowski Crac. 1638.
26. Paterna felicitas cl. ac doct. Viro Andr. Wolfowicz a Joan. Grynwaldt. Crac 1638
27. Gratulatio Jll. ac Rmo Dº Stan. Grochowski Archiep. Leop. a Mathia Głębocio. Cr. 1635.
28. Technopædeia seu in verna renov. stud. acad. oratio a Steph. Niszczycki. Cr. 1638.
29 Gratiæ nuptiales Cl. et Exc. D. Stan. Spinek &c. a Joan. Cynerski.
30 In occursum Ser. Pot. invict. Princ. Vlad. IV. &c. Acad. Zamoysc. votum. 1634. Petrus Trzebinski
31. Joppes votum p felici et exopt. incolum. Adami Opatovii a Joach. Speronowic Cr. 1638.

Authores

Alnpek Valerian.	21.	Millerus Lud. Christoph.	19
2 Aurimontanus Eliseus.	5.	Niszczycki Steph.	28.
1 Anonymi.	16, 18.	2 Nowakowski Adamus.	20.
Canevesi Thomas	8.	Ośzedowski Stanislaus	3, 25.
Cynerski Joann.	12. 17. 29.	Otrebusz Daniel	11
Deoyen Albert.	1.	Paris Joan. Albert.	10.
Fatowicz Nicol.	9.	Przyłuski Balthas. Stan.	13, 14, 15.
2 Głębocius Mathias	27.	Samborski Albert.	7.
1 Gąsiewski Nicolaus	23.	Nowikowski Nicol.	6.
Grynwaldt Joann.	26.	Speronowic Joachim.	2, 4. 24. 31.
Ławrinowicz Mikołay Francisz.	22.	Trzebinski Petrus.	30.

GRATVLATIO,

Illustriss: ac Reuerendiss: Domino

D. STANISLAO

DE GROCHOWICE

GROCHOWSKI,

Dei & Apostolicæ Sedis gratia,

ARCHIEPISCOPO LEOPOLIEN:

ABBATIÆ SECIECHOWIEN:

Administratori perpetuo,

&c. &c.

AD PRIMVM

In suam Archiepiscopalem sedem ingressum, Domino & Mæcenati amplissimo, honoris & debitæ obseruantiæ ergô

A

M. MATTHIA GLEBOCIO,

Philosophiæ Doctore, & Academicæ Coloniæ, ad Ædes Eccl: Metropolitanæ Leopolień.

RECTORE, *reuerenter*

OBLATA.



Quid trepidas Vrbs, quæ magni fers ſtemma Leonis,
Carniuoros circum mænia celſa lupos?
Magnanimus ſi te leo non ſatis arcet ab hoſte,
Sanctior ingenio te tueatur agnus.
Quid? noua prodigia hæc cenſes? Sic Chriſtus ouile
Ipſe ſuum armauit, fortior vt ſit agnus!

ZACHARIAS ZAIĄCKOWSKI
Stud: Scholæ Metr. Leop.

GRATVLATIO.

QVod erat maximè communibus votis exoptandum Illustriss. ac Reuerendiss. Archipræsul, vel ad ornandum tantæ dignitatis fastigium; vel ad extinguendum ardentissimum, Gregis vigilantissimo Pastore orbati desiderium; vel ad corroborandum celeberrimæ Ciuitatis istius patrocinium; vel deniq; ad leniendum dolorem, quem ex obitu æternâ memoriâ dignissimi Præsulis, Magniq; Senatoris IOANNIS ANDR. PROCHNICII, olim Prædecessoris Tui, magis magisq; in dies recrudescentem, fouebamus remedium efficacissimum proferendum: id profectò totum nos hodie consecutos fateamur, est necesse: cùm Te Illustriss: Domine, Ciuem Patriæ amplissimum, Regni Senatorem prudentissimum, nostras in oras, felicissimis auspicijs venientem conspicimus: Te Archiepiscopum, omni genere virtutum conspicuum, Ecclesiæ Tuæ lumina primò ingredientem, summâ animorum cum alacritate excipimus: Te huic Ciuitati addictissimum protectorem, Te omnibus nobis desideratissimum Patronum salutamus, istiusq; honoris gradum, quem Dei Opt. Max. prouidâ benignitate, Serenissimi ac Potentiss: Regis nostri singulari iudicio, Sacræ Sedis Apostolicæ auctoritate consecutus es, ex animo Tibi gratulamur vniuersi. Etenim quid aut summos Magistratus ornare potest illustrius? quàm Principum virorum præclara & exi-

mia virtus? quâ non minus ſplendoris ac gloriæ, ijs omnibus, quibus præſint, impertiri conſueuerunt, quàm lucidiſsimum illud Solis iubar, alijs ſyderibus Lunâ minoribus: aut procreatricem immortalitatis virtutem, quid è tenebris in lucem, è turba hominum, in ſummum faſtigium citiùs, quàm ille ipſe Comes indiuiduus Honor eruere ac prouocare poteſt? Quid ſuo Paſtore viduato gregi contingit optabilius, & iucundius? quàm illius Viri conſpectus, quem Deus ipſe glorioſiſsimus, præ cæteris omnibus, meritis grauem, vitæ integritate inſignem, pietate conſpicuum, prȩſtantiſsimarum virtutum ornamentis illuſtrem, tanto tamq; excellenti munere digniſsimũ, ex hominibus elegit, Eccleſiæq; ſuæ Ducem, & velut anteſignanum præfecit, quem omnes facilè ſibi proponant ad imitationem, omnes tanquam perfectionis propoſitam imaginem, ſuſpiciant, & admirentur, omnes deniq; ad illius vitam, mores quoq; ſuos conforment, & inſtituant? Quod gratius & felicius beneficium præſidiumq; illi Ciuitati, quæ multis perturbationum procellis, magniſq; periculorum atq; calamitatum tempeſtatibus, ſæpiùs agitari ſolet, Dei prouidentia datur? quàm ſui Antiſtitis præſens vigilantia, qui prudenti conſilio, dubias lites diſcutiat, rarâ benignitate ſubitaneos auſus leniat, eximiâ auctoritate inſolentiores temeritatis impetus frãgat, ac coërceat? quid inſuper promptiùs, acerrimum mitigare dolorem, longiſsimam ſatiare expectationem, maximum mulcere deſiderium poteſt? quàm luculentiſſimum ac perfectiſsimum ex Sanctiſsimis prȩdeceſſorum

virtutibus expressum exemplar, eiusq; Viri maiestas, in quo vno, omnes propemodum omnium virtutes, tanquã in speculo nobilissimo, nimium quàm abundè repræsententur, & ardentissimis vniuersorum votis respondeant. Ex quibus omnibus Tuis Illustriss: Archipræsul, præstantissimis ornamentis, tantùm sibi quisq; gaudij & lætitiæ, omninò accessisse affirmat; quantùm in Te dignitatis collatum videt: atq; adeò, eum Te in hunc sublimem dignitatis gradum euectum esse gloriatur, quem iam pridem præstans & illustris virtus, ad maxima in Repub. & Ecclesia Dei, per summos labores comparata ornamenta, & decora erexerat. Quos inter, qui lætis applausibus sua vota depromunt, ac proferunt, Tibiq; Illustriss: Archipræsul, in hoc tanto confluxu Nobilitatis, tantâ hominum frequentiâ, atq; concursu, summi huius honoris accessionem, longè felicissimam, congratulantur: cum me quoq; hinc communis lætitia vrgeat, illinc dignitatis Tuæ splendor non mediocriter perstringat: hinc debita erga Te reuerentia admoneat, singularisq; spes fauoris excitet, ac inflammet, altera verò ex parte, satis ingenij mei perspecta tenuitas auocet & retardet, quid in his tantis rerum inter se discrepantium momentis aggrediar, inter spem metumq; dubius, & penitus anceps hæreo? Proponam tamen Orationem, non illam quæ tota composita sit ad magnificentiorem pompam, & ostentatricem vanitatem, sed hanc meam simplicioris affectus plenam: ex qua nimirum prompta officiorum, obsequiorumq; meorum, erga Te Mæcenatem amplissimum,

ſimum, reluceat voluntas. Nequaquam enim congruum eſſe exiſtimo, cæteris omnibus, qui frequentes admodum adſunt hoſpitibus, atq; Patriæ huius Ciuibus, lætum Pæana, & congratulationes fauſtas occinentibus, me velut elinguem Harpocratis ſtatuam, inter Syrenas dulciſsimè perſonantes deliteſcere; & altiſsimum fingere ſilentinm, in communi eius Patroni lætitia, cuius ſub firmiſsima protectione, Muſas meas, id eſt, Academicas illas ſimplices & candidas, commodiùs florere poſſe confido. Malo igitur in dicendo prodere inopiam, aut ieiunitatem meam, quàm debitum Tibi Illuſtriſs: Domine, meæ obſeruantiæ ſtudium non perſoluere: cùm præſertim ex iſto clariſsimo virtutum Tuarum ſplendore, & admirabili humanitate mihi facilè perſuadeam, Te potiùs pietatis affectum, quàm dictionis minus elaboratæ cultum conſideraturum. Excellentis virtutis Tuæ fuit, tantum ſplendorem, dignitatemq; promereri; noſtræ verò felicitatis ſit, tenui licet & inopi dictione, tantum Tibi gratulari honorem, inq; tam celebri ingreſſus Tui pompa, quæuis fauſta, fortunataq; apprecari, effuſiſq; animis quaſi in theatro quodam apertiſsimo, illuſtres Tuas & eximias virtutes ſuſpicere, & admirari.

Equidem Illuſtriſs: ac Reuerendiſs: Archipræſul, licet ſuus meritò cuiq; Ciuium, de Repub. optimè meritorum tribuendus ſit honos, iuſtaq; conferenda præmia: tamen grauiſsimo Sapientiſsimorum Virorum iudicio, haud cuiquam vtrumq; potiori iure conuenit, quàm qui virtute nobiliori, politiorique doctrina reliquos omnes

ſupe-

ſuperent; quiq; feruentiſsimâ in Deum pietate, præſtantiſsimâ diuinarum humanarumq; rerum ſcientia, probatiſsima vitæ integritate, morum manſuetudine, atque comitate ſingulari, cæteris omnibus excellentiori quadam ratione præfulgeant. Etenim vt altiſsimi honores, & eminentiſsimi dignitatum gradus, ipſi per ſe cæteris hominum ornamentis præſtantiores ſunt, ita illuſtriores quaſdam virtutes, laudabilioremq; vitæ benè beateque inſtituendæ rationem, tùm præſtantiora generoſioris ingenij ſpecimina requirunt, ac deſiderant. Ac inprimis quid pietate in Principibus Viris, inq; ſummis honoribus conſtitutis Ciuibus, vel ad diuinum placandum Numen accomodatius, vel ad formandos, componendoſq; vulgi proteruioris animos conuenientius, vel ad mitigandos mores rigidos & efferatos aptius? vel ad comparandam authoritatem & venerationem prꝭſtantius fingi, cogitariue poteſt? Nam ſi apud vetuſtioris ſæculi populos, quanquam à fide Catholica alieniſsimos, laudabili more, & conſuetudine erat receptum, vt nullum in Reipub. negotijs ſuſcipiendis, maioris cuiuſpiam momenti aggrederentur opus, quod non religione illâ ſuâ, cultuq; Deorum temperaſſent: nullos præterea ad ſacrorum ritus deſtinare licebat, niſi qui huius virtutis, quàm maxima commendatione celebrarentur: nullis intima delubra adire, ſacrificia offerre, reſponſa dare, Oraculorum vim interpretari, niſi ijs, qui maximè pij, & religioſi haberentur, fas erat? quid? nonne Principes Chriſtiani, quanquam eos illuſtrioris pietatis diuinior afflauit aura,

in ea

in ea se virtute ab Ethnicis etiam vinci, ac superari patiuntur? Illi victimis non nisi opimis, sacrorum ritibus exquisitissimis, ludis & spectaculis apparatissimis, aris & sacrificijs celeberrimis, Deos venerati sunt suos: nos gens videlicet electa, & nimium quàm vitæ, morumq; sanctitate conspicua, si quid splendidius, aut magnificentius, sanctè, pieq; Deo consecretur glorioso, pro luxu reputamus? illamq; impij Poëtæ identidem ingeminare vocem non dubitamus?

Dicite Pontifices in sacris quid facit aurum?

atq; adeò illi superstitiosæ barbariei, in splendido sacrorum apparatu, primas concedere non erubescimus? Illi tantâ veneratione munia sacerdotij prosequebantur, vt hæc, aut Regibus ipsis, aut ex nobilissimis Familijs, Principibus concederent: Hinc Pontifices, Flamines Diales, Feciales, cæterosq; sacrorum suorũ arbitros & præsides, auratis vittis, laureis, quernisq; Coronis, cęterisq; insignibus, ad summi discrimen honoris ornabant, & discernebant: quibus etiam si quis non assurgeret prętereuntibus, aut de via non decederet occurrentib⁹, summum scelus, rigidaq; animaduersione, ac propè morte piandum flagitium iudicabant: nos sanctissimum Sacerdotium (proh dolor) non solùm iam passim contemptui obijcimus, sed iudicijs etiam, legibusq; publicis opprimimus, & manifestè prostituimus, ad contumeliam, & oppressionem execrandam. O tempora! ô mores! (non possum enim hîc mihi præ summo dolore, quin exclamem temperare) non furiosum Martem, non inuidiæ flammis ardentem

Satur-

Saturnum, non ſceleratum Iouem, non furacem Mercurium, non impudicam Venerem, aut quicquid Deorum, Dearumq; ſuperſtitioſa venerata eſt antiquitas, vanis ritibus adoramus; ſed altiſsima, veræ religionis myſteria, cælo ipſo demiſſa, ac per Chriſtum in terris diſſeminata, & propagata, ſummâ ſubmiſsione recolimus, & amplectimur; attamen magni Dei Sacerdotes, qui non ſanguinem taurorum, non Pinariorum, Potitiorumq; ambeſa exta, ſed diuiniſsimæ Triadi, in tremendo illo, ipſis etiam Spiritibus à concretione corporis abiunctis, ſacrificio, hoſtiam ſanctam & immaculatam quotidiè offerunt; magni inquam Dei, ipſos quoq; magnos Sacerdotes, tanto contemptui habemus? Illi pro nobis ſupplices, proſtratique, die nocteq; ad altaria ſanctiſsima inuigilant; illi à nobis feruentiſsimis orationibus, ſupplicationibuſque ſuis, peſtem, famem, grauiſsimaſq; hominum interneciones, eluuiones aquarum, incendia vrbium, deuaſtationes regionum, aliaſq; horrendas calamitates, & tempeſtates auertunt, atq; adeò multorum, & maximorum bonorum acceſsiones apud eum implorant, qui nutu ſuo regit vniuerſa; & cuius arbitrio atq; voluntate, ſceptra, & Diademata, Cruces, ſacræq; tyaræ, omneſq; ampliſsimi honores, hominibus conferuntur; nos inquam, illis hunc pietatis honorem perſoluimus, vt rigidum etiam in eos, iudicijs, ſententijſq; noſtris exerceamus imperium; & ſceleratas manus, in eorum bona armare, vibrareq; obliti penitus Catholicæ Religionis, atq; pietatis non dubitemus! Sed quorſum me inſperatus abripuit dolor. Nimirum

mirum Archipræſul Illuſtriſsime, liceat mihi pro defenſione pietatis, in hac etiam publica lætitia, iuſtas fundere lachrymas: vt vbi maximè Religionis periclitatur honos, per Te optimum, & vigilantiſsimum Paſtorem reficiatur, reſtituaturque. Intellectum enim eſt multis quidem in partibus huius Regni afflictiſsimi, ſed maximè in hac Metropolitana Tua Sede, quanta detrimenta dederit, quantas turbas, quantoſq; tumultus & ſeditiones excitauerit, non ſolùm in infima agreſtiq; plebecula, ſed inter ipſos etiam Principes, neglectæ, vel hactenus ſimulatæ pietatis ſacramentum. Hanc itaq; Tu virtutem, quam à parentibus, & Tuis maioribus nobiliſsimis, vna cùm multis alijs heroicis virtutibus hauſiſti, & potes, & debes Illuſtriſs: Archipræſul, iure Tuo æquiſsimo & ſanctiſsimo, integram & inuiolatam, non ſolùm in Te ipſo (quod facis quidem ſanctiſsimè) retinere, ac conſeruare: ſed etiam in his, qui Tuæ poteſtati ſubiecti ſunt, omnibus viribus animi, conſilijq; Tui promouere. Sanctiſsimum enim veri Dei cultum, teneris ſemper ab annis, præſago corde reuoluens, Teque ipſum tempeſtiuè admodum, magnis Eccleſiæ & Reipublicæ vſibus accommodans, ita huic virtuti toto pectore incubuiſti, ita Te in quotidiano tyrocinio pietatis exercuiſti, vt nihil Tibi in illa etiam ætate prima, amore diuini Numinis dulcius, nihil amabilius, nihil deſiderabilius ſtatueres ac proponeres. Hanc ideò aliæ ſecutæ ſunt adminiſtrę comiteſq; virtutes, cuſtos innocentiæ verecundia, ſingularis in moribus, & compoſitione mentis modeſtia, eximia

mia

mia in omnibus comprimendis affectionibus (quæ sæpius in ætate iuuenili efferuescunt, & nonnunquam tanquam equi ferocientes, iugum rationis excutiunt) temperantia, ac moderatio quædam, nobili & ingenuo dignissima adolescente: vt his optimè indolis dotibus, & ingenium Tibi ad bonas disciplinas promptum ac expeditum, & omnium quicunq; lineamenta illa pulchrioris faciei inspexissent, intimum quendam & honestum amorem facilè conciliaris. Neq; verò illud ociosæ, & voluptuariæ vitæ irritamentum vnquam attigisti, ac ne primis quidem (vt dicitur) labris delibasti, quod plurimos suis illecebris & blandimentis iuuenes primò inescat, deinde vbi diutiùs incauti hæserint infascinat, tandem de rectæ rationis & honestatis statione, in graue periculorum præcipitium deijcit atq; deturbat. Tua omnis non nisi cum optimis fuit occupatio, atq; familiaritas; leues, importunos, vecordes, & ipse facilè dignoscere, & cautior factus admonitionibus optimorum præceptorum, quos ab Alma Academia accersitos, lateri Tuo semper affixos habuisti, quàm diligentissimè euitare studuisti. Profectò dùm Tibi Illustriss: Domine tantam honoris accessionem, summâ animorum cum lætitiâ congratulamur, nostræ quoq; Academiæ (cui fauentissimus semper fuisti) ex Tuis virtutibus amplissimis, non mediocrem laudis atq; gloriæ portionem decerpimus: quòd nimirum in teneriore illa ætate, nullis omnino sæculi vanitatibus, ac deliramentis indulseris; quæ in diuersos anfractus, & difficultatum labyrinthos homines conijcere, & infestissimo

humani generis veteratori, ſcelerum, flagitiorumq́; vaferrimo artifici, velut prædam Minotauro in perniciem obtrudere ſolent: ſed totum illud floridioris adoleſcentiæ curriculum, laboribus, vigilijs, lucubrationibus intenſiſsimis conſecraris, atq́; his præſidijs munitus, ita Te ipſum ſacris ritibus addictiſsimum, Religioni Catholicæ atq́; pietati deditiſsimum, reliquo vitæ Tuæ flexu probaueris: vt ne inuidus quidem aut inimicus, vllum Tibi næuum adſpergere potuerit: optimus verò quiſque per omnes ætatis Tuæ gradus conijciens oculos virtutum, meritorumq́; materiem atq́; ſegetem vberrimam habuerit, quam in Te laudaret & admiraretur vehementer. Maturiori porrò & conſtantiori ætate, poſt dedicatum & conſecratum, ipſi Deo animum, tantò maior in Te pietatis fulgor eluxit, quantò Te altiùs à communi hominum ſocietate ſegregatum, amor diuini Numinis euexiſſet, & illuſtraſſet. Nam quid ego hîc de Tua eximia pietate pluribus loquar, quiduè immorer, cum illa ampliſſima, Cracouieñ. Eccleſiæ Cathedralis, tùm Eccleſiæ Sandomirieñ. & Varſauieñ. Canonicorum Collegia, luculentiſsima faciant teſtimonia, quos labores prò bono Eccleſiæ amplificando, quantas & quàm graues cum aduerſarijs concertationes ſuſceperis: quàm ardens, & quàm felix cultus diuini promotor & propagator extiteris. Quo enim maiori honoris & dignitatis ſplendore nitebas, eò ſemper illuſtriori virtutum præſtantiſsimarum luce coruſcabas: nec Tibi tumoris quicquam, plurimum verò ſubmiſsionis honores maximi adijciebant. Hinc fiebat

bat

bat, vt ingenti ſolius honoris diuini promouendi deſiderio inflammatus, cætera, quæ in arbitrio cæcutientis Fortunæ ſita eſſent bona, vana, fluxa, mutationiq; perpetuæ obnoxia, plus quàm Anaxagoras ille Clazomenius repu-tares: qui cùm à terrenis ad cæleſtia animum auocaſſet ſuum, totumq; ſe diuinarum rerum contemplationi dedidiſſet: opes inſuper atq; diuitias, quas ex hæreditate poſsideret maximas, contempſiſſet, ac ideò ſupinæ cuiuſdam negligentiæ damnaretur à Ciuibus ſuis, identidem exprobantibus, quod nullam patriæ curam haberet, digitum in cælum intendens reſpondit: Mihi verò ô Ciues illius Patriæ cura eſt quàm maxima: eam ſolam Patriam appellans, à qua animorum noſtrorum immortalis origo profluxiſſet. Ita quoq; plus apud Te pietatis iura, quàm opes, & ſæculi honores valebant: plus ſibi vendicabat temporis Religio, & deuotionis affectus ad exercitium, quàm ea quæ popularem auram aucupantur, aut maximis cum animi anxietatibus, à mortalibus conquiruntur. Quemadmodum enim vniones pretioſiſsimi, quanquam in proceloſo mari generentur, plus tamen cognationis, ſimilitudiniſq; cum cælo habent, cuius faciem, coloremq; præſeferunt: Sic animus Tuus generoſus, licet in aſsiduis Reipub. tempeſtatibus verſaretur, maiorem tamen ſemper habuit rationem honoris Dei glorioſi, à quo promanaſſet; illiuſq; cæleſtis hæreditatis, ad quam aſpiramus & contendimus vniuerſi, antequam poſſet fieri particeps, contemplator certè fuit ardentiſsimus.

Equidem Archipræſul Illuſtriſs: ſi multum ea virtus

 laudis

laudis & honoris Principibus confert Christianis, qui magnis sæculi & publicæ rei negotijs sunt irretiti, quantò plus gratiæ,& amoris conciliat Viris Deo deuotis, sacrisq; initiatis, atq; adeò Ecclesiarũ pastoribus, ad quos omninò promouendæ pietatis ac Religionis Catholicæ studium spectat. Neq; verò immeritò magis amant homines quàm metuunt eos, siue Principes, siue sacrorum præsides, etiamsi paulò illi fuerint in vitijs coërcendis rigidiores, quos deuotissimos, & pietati addictissimos norunt: sentiunt enim & intelligunt, omnibus eorum consilijs, rebusq; gestis, auxiliarium præstò Deum adesse: hinc libentius eos non admirantur modò, ac venerantur, sed imitantur etiam, quos sibi vitæ integrirate, morum grauitate & innocentiâ, ad meliorem vitæ rationem aditum præparare, feliciq; pede præire intuentur. Vt enim Opifices & agrestes operarij, qui vel oculo, vel ingenio minus sunt pespicaces, ad normam, amussimq; rectam, operas suas accomodant: sic ad Principis sui exemplum inculta plebes, mores, vitamq; conformat ac instituit. Itaq; Princeps, si pietatis, si religionis, si temperantiæ, si æquitatis, cæterarumq; virtutum cultor fuerit egregius, facilè non solùm subditos exemplo suo à sceleribus, ad meliorem vitæ frugem flectet; adeòq; ab insolentia ad obsequium, à proteruia ad morum temperationem, à dissensionibus ad concordiam reuocabit: verum etiam apud ipsos sibi hostes, virtutis excellentis opinione summum conciliabit amorem ac venerationem: vt & regnũ domi pacatissimum, finibusq; amplissimum, & foris ab

omni-

omnibus impreſsionibus tutiſsimum retineat, atq; conſeruet. Quid? Nonne ſummo pietatis beneficio Princeps ille iuſtus, integer, ac religioſus, Longobardorum Luitprandus plura bella exiguâ manu, breuiq; tempore confecit, quàm cæteri iuſtis exercitibus, temporibuſq; longiſsimis potuerunt: plures victorias ex perduellionibus ſuſcepit, quàm cæteri potentes, magniq; Duces ingentibus prælijs non ſunt aſſecuti: plures annos regnum illud acerrimis hoſtibus circumſeptum, fauſtè, proſperèq; adminiſtrauit, fineſq; imperij propagauit, quàm vicini Reges vinculo fęderis conſociati, aut optare, aut ſperare potuerunt. At is ipſe, non ſuis armis, ſed feruentiſsimis Sacerdotum orationibus (quibus intra ſuum tentorium, erigi Oratorium voluit, vt cum ijſdem ſimul deuotioni vacaret) diuinoq; auxilio confidebat.

Theodoſius verò ille Sapientiſsimus Imperator, quam perſpectam eius virtutis vim habuerit, teſtatur ipſius teſtamentum, atq; illa vltima, velut Cygnea vox, quâ liberis ſuis chariſsimis, nihil aliud mandabat, quàm vt veram pietatem, ſincerumq; cultum Numinis ſeruarent: conſtantiſsimè aſſeuerans, hac ratione eos florentiſsimũ, pacatiſsimumq; regnum habituros, hoſtes, fuerint illi licet potentiſsimi ſuperaturos, trophæa glorioſiſsima reportaturos, ſi infractam, nulliſq; vitijs, vel hæreſibus contaminatam, pietatem in Deum, tanquam firmiſsimum Regnorum ampliſsimorũ fundamentũ tuerentur. Quid igitur dicam de Pontificio munere, quid ediſſeram, quantum valeat animorum cum Deo coniunctorum intima

conſo-

consociatio, & quotidiana illa familiaritas, si Principum, Regumq; pietas, tanta regnis pariat emolumenta? Profectò non dubitauerim asserere (quod ipsum iam per se luce clarissima illustrius & euidentius est) non tantùm militari potentiæ munimenta ac propugnacula fortissima adferre præsidij, non regnis mænia Vrbium, non pedestres phalanges campestribus concertationibus, non Equestres instructas acies, defendendis castris: quantum pia, integraq; vita Sacerdotum, in Ecclesia Dei. Illi enim sunt in prima statione constituti exploratores, aduersus insidiatrices hostis infernalis machinationes: illi sunt fortissimi in certamine pro Christi fide milites: illi sunt fidelissimi in exercitio nobilissimarum virtutum prodromi: illi sunt perfectionis Christianæ specula, nulla labe, nulla macula inspersa; diuini amoris ardentissimæ lampades, super candelabra Ecclesiæ Catholicæ expositæ, vt & ardeant cælo, ad Dei gloriam, & luceat hominibus bono exemplo ad imitationem. Hanc Tu igitur virtutem Illustriss: D. à teneris (vt dixi) annis, ab exemplis maiorum, Parentumq; Tuorum nobilissimis, hausisti, possedisti: hanc toto vitæ tempore coluisti, obseruasti: hanc clarissimis meritis ac monumentis ornasti, propagasti: vt diuinitùs tanta Tibi dignitas, tantusq; honor, amplissimæ huius Cathedræ contingat.

Quod si Sapientiam, quæ est diuinarum, humanarumq; rerum scientia perfectissima, mentis humanæ lucerna splendidissima, acutiori ingenij radio lustrauerimus, non solùm hanc Ecclesiæ Pastoribus, summum ad

ferr

ferre ornamentum & pręsidium intelligimus, verum etiã ijs Principibus, quicunq; ad clauum Reipub. ſunt collocati. Vtriuſque enim iſtius magiſtratus diuinum munus eſt: Deiq; locum omnes, qui aut homines erudiunt ad iuſtitiam, aut retinent in officio honeſtatis, in terris occupant. Eius verò officij vt dignitas ſumma, ita cura laborq; ingens, error periculoſus, caſus pernicioſus, virorum grauiſsimorum conſenſu & auctoritate iudicatur. Quantum enim inter ſenſus humanos præſtat viſus; in animę nobiliſsima functione intellectus, inter ſydera Sol, tantum in omnibus rebus humanis principum Sapientia ſibi vendicat dignitatis: quæ ſi cęcutiat tanquam oculus, propter lippitudinem; vel organo non rectè vtatur ſuo, tanquam intellectus propter inflammationem ac obſtructionem: vel Eclypſim, defectumq; luminis patiatur, tanquam Sol ob Lunæ interpoſitionem, intelligemus omnia in principe fuerint licet præſtantiſsima, nihil omninò valitura. Tum enim omnia in eiuſmodi regimine, tanquam in confuſo cerebro, turbulenta; tanquam in oculo cæca: tanquam in Sole horrida, obſcura, & tenebricoſa vt exiſtant, eſt neceſſe. Hinc Athenienſes Palladem Sapientiæ Deam, imperio præeſſe ſuo voluerunt: Ægyptij per ſceptrum oculatum, Sapientem Principem deſignarunt: Veteres Romani, per antiquisſimum illud ſimulachrũ, Iani bifrontis, & in vtramq; partem oculos dirigentis, Sapientisſimum eſſe debere eum, quem aliquis in Rep. magiſtratus adornat, docuerunt. Nec immeritò equidem prudentisſimi, ſapientisſimiq; viri tantis ſapientiam

laudibus & elogijs celebrarunt. Ab illa enim, quidquid castæ puræq; Religionis in Deum, quicquid pietatis in patriam & parentes; quicquid nobilioris perfectionis in homine, mente concipi, aut cogitari potest, velut vberrimo fonte promanare solet. Ab illa consilij, & prudentiæ, dexteritatis & industriæ momenta petuntur: ab illa ad moderandos eminentissimos quosq; magistratus rationes & præcepta conquiruntur: ab illa velut vniuersæ eruditionis procreatrice & parente, præstantissima ingenij præsidia, nobilissima scientiarum dogmata, fortissima veritatis arma mutuantur, quibus importunæ Hæreticorum phalanges dissipentur, fraudes, doliq; mali Schismaticorum arceantur, fictæ, simulatæq; pietatis fucus intelligatur, discutiaturque. Illa est timoris & amoris diuini comes conscia, moderatrix rationis, lumen ingenij, nutrix scientiarum studiosissima, magistra perfectioris vitæ fidelissima, vita regimnis publici probatissima, nobilissimarum virtutum officina absolutissima, fons & origo prudentissimorum consiliorum, anchora felicitatis, portus immortalitatis, basis & fundamentum illius hæreditatis sempiternæ. Hac sine in summis magistratibus, nec rectè decerni, nec iustè, pièq; quicquam administrari potest. Vt enim nisi splendidissimum, altissimumq; Solis iubar, radios suos in omnes terrarum regiones diffundat, obscuris tenebris inuoluuntur omnia, confusaq; manent: Sic animus Principis, vltra communem humanæ conditionis eleuatus sortem, nisi Sapientiæ splendore, cæteris clarior euadat, nisi radios perspicacis cu-

cis cu-

cis cuiuſdam prouidentiæ, longè latèq; ſpargat ac diffundat, confuſa & veluti chao quodam teterrimo immerſa, infra ſe omnia experiatur eſt neceſſe. Imperitia ſiquidem mater eſt confuſionis, quæ animum & voluntatem ita excæcat, & deprauat, ita ſenſus teneriores, acutioreſq; hebetat & attenuat, Cymerijſq; plus quàm tenebris inuoluit; vt quid rectum ſit, quid laudabile, quid ſalubre, quid honeſtum, minus omninò valeant dignoſcere. Quam rerum imperitiam ac confuſionem, animus Tuus immortali Sapientiæ lumine illuſtratus, ſemper eſt Illuſtriſs: Archipræſul deteſtatus. Agreſtem illam, & ignobilem hominum colluuiem, ſemper iudicaſti contemnendam, quæ ſupremos ſibi arrogat honores, vtque melioribus imperare poſsit, ambit vehementer; cùm nullis ſit doctrinæ reconditioris munita præſidijs, nullis tincta coloribus, ſolidæ, veræq; eruditionis. Itaq; Tu non ſolùm illam Sapientiæ poſſeſsionem, ſummis laboribus & vigilijs, ardentiſsimoq; Tibi animo comparaſti, quam vſibus vitæ humanæ, & conſilijs publicis accomodatiſsimam, Eccleſiæ verò & Reipub. difficultatibus diſcutiendis perutilem ac perneceſſariam cognouiſti: verùm etiã per eam Tibi laudem maximam, non ſolum in Regno hoc florentiſsimo, ſed in exteris quoq; nationibus quærere non dubitaſti, in eaq; plurimùm excellere rem honeſtiſsimam, & viro ad magna Reipub. negotia nato, perhonorificam exiſtimaſti. Hinc & viros, virtute & eruditione clariſsimos, tanquam propugnatores Catholicæ veritatis fortiſsimos, veræ Religionis propagatores feruen-

tiſsimos, Hæreſeum, vitiorumq́; extirpatores laborioſiſſimos, infernalis Sophiſtæ calumniarum Cenſores & arbitros grauiſsimos, ſemper vnicè coluiſti, amaſti, obſeruaſti, illuſtri gratiâ, authoritateq́; Tua in ſublimiores honores euexiſti, erexiſti. Optimè ſiquidem noſti, Naturam quoq́; ipſam, optimam parentem, in hoc ambitu & ordine vniuerſi, meliora deterioribus, robuſtiora infirmioribus, nobiliora tenuioribus, ſublimiori collocaſſe loco: quin etiam cæleſtia Numina, ad eminentiorem dignitatis gradum, homines, qui alios regere, communem ſalutem defendere, publicam vtilitatem promouere valeant quàm prudentiſsimos, & vſu rerum peritiſsimos eligere & erigere. Neq́; verò digniorẽ eſſe eum, viri ſapientes putant, qui nummis tantummodò perſonet, qui ſplendore, apparatuq́; conuiuiorum ſuperbiat, qui cultu luxuq́; corporis turgeſcat, qui magnificâ ædificiorum ſtructurâ, numeroſâ famulitij cateruâ, potentiam ſuam oſtentet: ſed qui prudenti conſilio, rerum agendarum dexteritate atq́; fide, animi magnitudine & robore, nobiliſsimis animi dotibus & ingenij excellentiâ, plurimum valeat: omniaque hæc præſidia, ad Eccleſiæ Dei ornamentum, & publicum emolumentum conferat: is demum & frugi vir, & ſapientis nomine dignus iudicatur. Vt enim nauiculatores, non aut formoſiſsimum, aut ditiſsimum; ſed peritiſsimum virum, ad regendam aduerſus tempeſtates maris nauim, conquirunt & præficiunt: qui ventorum vim & conuerſiones; locorum naturam poſitionemque; ſyderum benignorum & aduerſo-

uersorum ortum aut occasum; itum & reditum tempestatum noscat, & intelligat; quiq; facilè periculosas superare Syrtes, voraces euitare Charybdes, præcipites effugere Scyllas, & sciat, & possit: ita ad regendos summos in Rep. Magistratus, is vir eligitur, qui mores, geniumq; populi norit, qui leges, iura, libertatem perspiciat, & penetret, qui deniq; tumultuosas seditionum procellas imperio moderari, sana subitò consilia tempore periculi inualescentis promere, inflammatam ad vim, ad insolentiam, ad temeritatem, multitudinem, auctoritate prudentiâq; suâ mouere, à scelere ad moderationem animi flectere, benignitate magis, quàm seueritate regere, & impetũ furoris, clementiâ mitigare possit. Profectò tam diu Trabeæ, paludamenta, saga, togæ, sceptra, diademata, splendorem decusq; suum retinebunt; quamdiu spectatos Sapientiâ, prudentes consilijs, graues meritis & virtute viros, habebunt, quos adornent & illustrent, vel ab his potiùs adornentur, ac illustrentur. Quare ego summam quandam Dei Opt: Max: erga hanc Vrbem atq; Cathedram benignitatem agnosco, quod Tu potissimum Illustriss: Domine integerrimo, prudentissimoq; PROCHNICIO, Sapientissimus, grauissimusq; meritis Præsul succedas: vt mihi non orbata hæc Ecclesia Pastore, sed per felicem quandam vicissitudinem, successore suo magis etiam ornata, & illustrata videatur. Et fruitur ille quidem Sanctissimus Tuus antecessor, in illa patria immortalitatis, beatitudine sempiternâ, nuncq; laborum suorum pro bono Ecclesiæ amplificando exantla-

 torum,

torum, fructum omninò percipit longè vberrimum: atq; adeò hoc etiam nomine gaudet & lætatur, quod Te successorem videat & agnoscat eum, qui in hoc æstu, & fremitu Religionis, laborantibus succurrere, lapsos erigere, afflictos consolari, propter Tuam singularem & eximiam possis Sapientiam. Eam quippe semper firmam solidamq; Sapientiam existimasti, quæ non de rebus minutis subtiliter disserat, aut de inutilibus curiosè rixetur, sed quæ de negotijs grauissimis, ad Ecclesiæq; emolumentum spectantibus, necessaria admodum dogmata copiosè sufficiat atq; porrigat: eam quæ non more græculorum consumendi ocij gratiâ in angulis vanis concertationibus incumbat; sed quæ in luce & theatro Reipub. negotia dextrè obire, consilia rebus dubijs promptè & commodè subministrare, bonorum virorum amicitiam, piè, sanctèq; colere doceat: eam deniq; quæ non perturbationibus vehementioribus frangatur & corruat, aut lenocinijs & voluptatibus succumbat, aut irâ efferuescat, aut metu impallescat, aut lætitiâ immoderatiùs efferatur, aut insuper grauissimarum sollicitudinum tempestate fluctuet & obruatur: sed quæ omnes insolentiores animi motus, tanquam equos effrænatos, sub gyrum rationis mittere norit, iracundiam cohibere, odium extinguere, rixas & seditiones comprimere, simultates radicitùs euellere, rebus prosperis prudentiam ac mediocritatem, aduersis modestiam, & constantiam, accommodare præcipiat. Nec verò ita arduum & difficile fuit vllum Reuerendiss: Archipræsul pro Repub. susceptum à Te negotium,

quod

quod Tu minus vnquam feliciter conficeres: nec ita vehemens atq; terribile, quod non omninò Tibi gratum & iucundum videretur. Quocunq; Te grauissima Reip. vocabat necessitas, illinc alacriter, summoq; cum impetu animi cucurristi, ardentissimisq; semper optimorum Ciuium votis, & potentissimorum Regum desiderijs, prudentissimis consilij Tui conatibus respondisti. Mirabantur amici summos Tuos & penè Herculeos, pro dulcissima Patria & Ecclesia supperatos labores, stupebant & exhorrescebant inimici (quanquam nesciam, an aliquem ob eximiam Tuam felicitatem habeas inimicum) hostes verò etiam (qui maximus perfectę virtutis fructus est) deprædicabant. Reficiebantur toties sapientissimis sententijs è maturo Tuo iudicio depromptis, à dissitis regionibus venientes hospites, recreabantur Senatores, parietes deniq; ipsi Regiæ Curiæ, sæpius ad flexanimam Orationem Tuam gestire quodammodo, & exultare videbantur. Quid commemorem, quo consilio & prudentiâ vsus fueris in commissionibus periculosissimis, quâ dexteritate in negotijs difficillimis, quo ingenio in caussis dubijs & obscuris, quâ solertiâ, modoq; in reconditis & confusis, quâ sedulitate in ambiguis & perplexis: cùm vel illud grauissimum Reipublicæ munus, Tuis humeris impositum, vt thesauri totius Regni curam gereres, satis sufficienter, qualis Athlas in hoc cælo sustinendo fueris, approbet. Profectò omnium redituum & vectigalium Reipublicæ rationes & momenta recognoscere, & in promptu semper, ac numerato cum opus est habere,

bere, quis nisi stupidus intelligere non posit, quam id officium industriam, quem laborem, quam diligentiam & asiduitatem requirat ac desideret?, quam tamen Tu Illustris: Domine prouinciam omnem, non solum diligenter ac sollicitè, sed etiam summâ fide & moderatione, immortaliq; cum laude & emolumento Reipub. administrasti. Fuit enim præcipuum in Te vitæ traducendæ institutum, vt non solum maiorum Tuorum gloriæ, honori, virtutibus, quibus illi hoc in amplisimo Regno multis sæculis eximiè floruerunt, responderes, præsentibus necesitabus Reip. succurreres, calamitosis saluberrimo cõsilio prodesses, de patria benè meritis viris auxiliatricem manum porrigeres, hominibus verò ignauis & lucricupidis, tanquam fucis mel ex aluearibus Reipub. surripientibus, ad publica beneficia aditum præcluderes: verùm etiam vt eximiâ pietate, fide, magnanimitate, singularibusq; erga Serenisimos Reges meritis, rarisimis erga patriam officijs, solidam apud seram posteritatem laudem, nomenq; immortale Tibi comparares. Cuius equidem laudabilis contentionis Tuæ fructus vberrimi, cum vbiq; in Repub. manifestisimè reluceant; cum virtutum nobilisimarum Tuarum maximus splendor sese luculentisimè efferat, oculosque omnium Ciuium perstringat, meritò dignus iudicatus es, cuius tantæ prudentiæ, tantis meritis, tantæ pietati, etiam absq; aliarum decursu dignatum minorum, amplisimi huius honoris Solium offerretur: dignus cui sella Curulis, & in Senatorio ordine, honorificentisimus locus designaretur, cuius

Sapien-

Sapientia, in ſubſidium Eccleſiæ, & labantis huius Reip. altiùs eleuaretur, ac deniq; cuius fidei glorioſiſsima dignitas Archiepiſcopæ Leopolien̄. cuſtodienda & exornanda demandaretur: vt in patentibus & apertis huiuſce R V S S I Æ campis, virtus induſtriaq; Tua liberiùs & liberaliùs poſsit excurrere. Hîc ergo feliciter ingenij Tui diuinam illam vim exere ad admirationem, afflictos incolas ſanctiſsimis præceptis & conſilijs erige ad patientiam, in fide titubantes retine & confirma ad conſtantiam; errores atq; vitia grauiſsima extirpa ad vitæ emendationem: errantes oues ad ſaluberrima Eccleſiæ Catholicæ reduc paſcua: atq; vt vno verbo complectar omnia, in hac vaſtiſsima regione, cunctis hominibꝰ optimo exemplo præluce, ad virtutum nobiliſsimarum imitationem.

Quid dicam de admirabili benignitate, ſummâ clementiâ, manſuetudineq; Tua, atq; adeò animo illo verè heroico, qui miſerijs humanis tenerrimè compatitur, afflictis promptiſsimè ſubuenit, offenſas & iniurias graues deprecantibus, facillimè culpam condonat & ignoſcit? Profectò magnanimorum Heroum indoles ea eſt atq; natura, vt nuſquam ſuperbiâ intumeſcant, nuſquam inferiorum contemptu laborent, nuſquam, quenquam graui ſupercilio damnent ad contumeliam: ſed quo excellentioribus animi ſui bonis, magiſque proſpero flatu fortunæ fuerint illuſtriores, eò ſe faciliores, humanioreſq; præſtent. Magnam omninò potentiam, ſublimem maieſtatem, grauiſsimam authoritatem, magni principes ita componunt, vt plura ſemper aliorum virtutibus con-

cedant ornamenta, multo maiores, ingenijs, eloquentiæ, consilijs amicorum accumulent laudes: nihil nisi submisse de se & sentiant, & loquantur: magnas ingenij dotes modestiâ comprimant, animi magnitudinem sui non magnopere iactent, vel ambitiosè ostentent: omnia deniq; candidè sincerèque, nihil agant ad fucum & simulationem. Nam quemadmodum tempore verno, aura tenuis, suâ placidâ inspiratione, vitam, spiritumq; vegetiorem animantibus instillat & infundit: & recentis solis attemperat æstum: & turbines, ne aucti subitò viribus ipsi suis acriùs noceant arboribus, vel ædificia euertant, & prosternant; vel herbas confundant cum radicibus & extirpent, vi caloris moderati detinet, & attenuat; hincq; efficit, vt & flores suauissimos spirent odores, & arbores fructus ferant vberrimos, & homines in suis domicilijs tuti satis quietiq; viuant: Sic benignitatis & clementiæ fauor, simul atq; Principis alicuius animum occupârit, omnia tuta, quieta, amæna reddit; virtutesque alias paulò rigidiores, velut in concentum, & dulcem quandam harmoniam vocat: ita vt nec iustitia (quæ summam sæpè habet comitem iniuriam) nimis rigida, sed exorabilis; nec imperium seuerum, sed amicum; nec mores dominantis asperi, sed placidi; nec summâ potentiâ formidabilis sed amæna; nec deniq; ipsa maiestas metuenda, sed amabilis esse videatur. Vt verò sal modicus, cibis suauitatem restituit, & sapores alios iucundiùs palato propinat, à putredine conseruat: sic benignitatis & humanitatis affectus, amabiliores reddit

eos,

eos, qui ideò hominibus præſunt, vt prodeſſe poſsint. Egregiè ingenioſiſsimus Poëta ſuo Principi vim & dignitatem clementis imperij demonſtrat.

Se iactent alij, ſtudeant feritate timeri,
Addictoq; hominum cumulent æraria cenſu
Lene fluit Nilus, ſed cunctis amnibus extat
Vtilior, nullas confeſſus murmure vires:
Acrior at rapidus tacitas prætermeat ingens
Danubius ripas. Eadem in clementia ſæui
Gurgitis immenſum deducit in oſtia Gangem.
Torrentes immane fremant, lapſiſq; minentur,
Pontibus inuoluant ſpumoſo vertice ſyluas:
Pax maiora decet: peragit tranquilla poteſtas,
Quod violenta nequit, mandataq; fortiùs vrget
Imperioſa quies.

Itaq; qui ad eam virtutem velut ad Cynoſuram communem Ciuium ſalutem, publicumque bonum dirigebant, & aliquid gratiæ, humanitati, manſuetudini concedendum putabant, neq; ſingula ſemper cenſoriâ virgula examinabant: illi profectò Sapientiſsimi & feliciſſimi Rerum publicarum rectores & conſeruatores ſunt appellati. Celebrata eſt ea virtus ſummis laudibus, à grauiſsimo & eloquentiſsimo Vrbis Romanæ Senatore Arpinate, qui nihil laudabiliùs, nihil magno & excelſo animo digniùs eſſe placabilitate & clementiâ aſſeruit. Placuit vehementer Athenienſibus, qui tantam huius virtutis habere voluerunt rationem, vt quanquam Senatum Areopagiticum conſtituerint rigidum & nimium ſeue-

rum, qui seuerâ mores Ciuium insolentiores coërceret animaduersione, cogeretq; legibus ad modestiam, & vitæ probitatem, huic tamen ipsi quam diligentissimè animaduertere iniunxerunt, ne quisquam in ordinem magistratuum superiorum admitteretur, nisi is ipse benignitatis, temperantiæ, æquitatis, egregium aliquod specimen in vita sua exhibuisset. Eo enim mansuetudo diuina planè virtus, quæ in hominibus tumidiorem mentis elationem comprimit, immoderati fastus insolentiam coërcet grauis supercilij asperitatem, & immodicam errorum, noxarumq; castigationem, lenit atque mitigat.

Hâc Tu virtute Illustriss: Archipræsul, cum per totum vitæ Tuæ curriculum vehementer excelluisti, tum vel maximè admirandus extitisti, cum Serenissimorum Regum prudenter & nimium quàm circumspectè intima consilia tractasti; vbi ob summam Principum gratiã, singularemq; fauorem, quanquam aditum Tibi facilem ad honores amplissimos reserare potuisti, nihilominus tamen ita Te moderatum præstitisti, vt potiùs honoribus dignus videri, quàm frui volueris.

Non commemoro cæteras Tuas patrias & hæreditarias virtutes, illasq; in quibus tanquam cardinibus humana vertitur perfectio, Iustitiam, fortitudinem, temperantiam: illa certè Heroici animi singularia decora, magnanimitatem nimirum & liberalitatem prætermittere non possum: quæ vt diuinitùs solis penè Dynastis conceduntur, ita eosdem ad Diuinam Maiestatis beneficam naturam proximè faciunt accedere. Vt enim Solem videmus

demus liberalissimè cæteris syderibus sui luminis splendorem communicare, cuncta intimo quodam vigore animata, fauore, pratis gramina, hortos varijs floribus, plantas folijs, aues plumis, animalia diuersis integumentis vestire, nec quicquam tamen de sua deperdere pulchritudine & abundantia: Sic Principibus, Ecclesiæq; Pastoribus, rarâ Dei Opt: Max: benignitate concessum est, vt tantis dotibus animi, ingenijq; adornati, tàm liberali indole & fortuna instructi, & illustrati, miseris & egẽtibus subueniant, afflictis succurrant, pupillis patrocinentur, bonorum ingeniorum laboriosos conatus, ad studia liberalia promoueant; ac deniq; diui Numinis benignã munificentiam in beneficijs elargiendis imitentur. Quas quidem virtutes Illustriss: Archipræsul singularibus, & per quam illustribus argumentis expressisti, multa liberaliter, multa splendidè, multa magnificè egisti: in rebus præsertim ijs, quæ ad cultum, Deique Optimi Maximi honorem, Ecclesiæq; decus, & patriæ ornamentum spectant. Sunt enim istæ Tibi beneficio Gentis Tuæ innatæ, non solùm vsu & exercitio pulcherrimo propagatæ virtutes: quæ in Tuo quoq; germano fratre Illustriss: olim Luceorieñ. Episcopo Achacio Grochowsky, summopere enituerunt. Tuum est illud egregium, & verè Christianum votum, quo vt quàm optimè omnib⁹ eueniat optas, vtq; ipse quàm plurimis maximè prodesse possis hominibus, desideras: hinc nihil Tibi iucundius est quàm humanitatem colere, hospitalitatis iura promouere, neminem petentem aliquid (quod ille princeps Romanus

 gloria-

gloriabatur) triſtem à facie Tua dimittere: quæ omnia tanta ſunt, vt non meam iſtam tenuem & exilem, ſed eloquentiſsimi cuiuſq; floridam & magnificam vincant ac ſuperent orationem. Exponant ergo illi vberiori & elegantiori dicendi copiâ Heroicum Tuum & magnanimũ animum, qui propiores plurimis ab annis virtutum, rerumq; Tuarum geſtarum ſpectatores, & admiratores fuerunt: referant iſti & depredicent ſummam Tuam in cultu diuino promouendo liberalitatem, qui Tuo propenſiſsimo fauore, ad altiores honorum gradus, cum ſingulari patrię & Eccleſiæ emolumento ac ſolatio euecti ſunt. Quanquam verò omnes iſti taceant & obmuteſcant, ingratumq; pro maximis beneficijs obtrudant ſilentium: depredicabunt tamen munificentiam Tuam, vel illa magnifica ædificia quæ in rem, & neceſsitatem Eccleſiæ, tùm hic Leopoli, tùm ad Monaſterium Sieciechouienſe, ſplendidè & ſumptuoſè eriguntur. Itaq; non tantùm laudis & immortalitatis, illos ſibi comparaſſe facilè mihi perſuadeam, quibus aureæ quondam ſtatuæ erigebantur, aut quibus altiſsimæ columnæ, aut Obeliſci, aut Coloſsi, immenſæ magnitudinis exædificabantur: quantum Te Illuſtriſs: Antiſtes, qui tot collocas immobilia gloriæ fundamenta ſempiternę, quot ædificiorum ſatagis exquiſitiſsimè erecta monumenta relinquere: atq; adeò contendis, vt fama decuſq; Tui nominis, non his exiguis mortalitatis terminis, quibus vita noſtra circumſcribitur, contineantur: verùm vt ad omnem poſteritatem, memoria virtutum, meritorumq; Tuorum glorioſa tranſ-

mittatur,

mittatur, ac propagetur. Quare fruëre iam Illuſtriſs: Archipræſul tam illuſtri, & excellenti dignitate atq; honore Tuo, quem fauſtè, proſperè ac feliciter ingentibus meritis, virtutibuſq; Tuis conſecutus es. Te enim his in oris Rußicis vnum videmns omnes & intuemur ſummâ cum animorum alacritate, qui præſtantißimarum virtutum ornamentis, mirum in modum cæteris omnibus præfulges. Nam hæc omnia tam præclara & honorifica præmia, atq; decora, non ex olympicis certaminibus, vbi de oleaſtro, non ex Pythijs, vbi de palma vel eſculo; non ex Nemæis, vbi de Oleis, vel ex apio Coronis, variæ eæq; periculoſæ contentiones ſuſcipiebantur, reportaſti: Sed ab auguſtißimo Reipub. noſtræ theatro, poſtquam virtute & rebus egregiè geſtis, honorificentißimè, glorioſißimèq; pro fide, pro legibus, pro libertate, pro amore patriæ, pro Eccleſiæ dignitate, atq; integritate decertaſti, Sellam Curulem, Tyaram Archiepiſcopalem, amplißimæ & perfectißimæ dignitatis Tuæ inſignia felicißimè retuliſti, Tuorumq; maiorum ornamentis clarißimis adiunxiſti. Ex quo rerum Tuarum tam felici progreſſu & ſucceſſu, nemo eſt Illuſtriſs: Antiſtes, qui non lætetur, nemo qui non excelſam animi Heroici indolem admiretur, nemo qui eximias dotes Tuas non ſuſpiciat, & in hoc expectatißimo, ac deſideratißimo aduentu Tuo, non omninò felicia omnia, promptißimo animo percipiat. Te nunc amplißimus ordo Senarorius, Virum Regni Principem, in nobilißimum ordinem, magna cum alacritate adſcriptum, honorat: Te auctoritate & prudentiâ

grauiſ-

grauiſsimum, Cathedræ Tuæ Prælatorum Collegium, vt Archiepiſcopum multis à menſibus deſideratiſsimum, ſummo cum iucunditatis applauſu, & veneratione complectitur: Te vniuerſus Clerus, qui tantiſper multum de Te ſollicitus, pietatis & deuotionis ſtudio non ſegnem operam nauabat, optatiſsimum præſulem, humili cum ſubmiſsione excipit: Te prudentiſsimus cum tota hac Ciuitate Senatus, fautorem & protectorem ſibi addictiſſimum, humaniſsimis officijs, veneratur: Te Muſæ noſtræ Mæcenatem liberaliſsimum, velut Apollinem, in Parnaſſum venientem, amænis vocibus, & fauſtis acclamationibus ſalutant: Te deniq; vniuerſus populus, Paſtorem vigilantiſimum, gratulabundus, optima quoq; Tibi à Deo Opt: Max: precatur. Et quamuis iſta tam grauis temporum difficultas, & afflictus Regni iſtius ſtatus, ob multas calamitates, & hoſtium vndiq; irrumpentium oppreſsiones, non facilè quenquam animo voluere lætiora patiatur: tamen exorta hac Tua recenti dignitate, velut noua laboranti patriæ aurora, incredibilem ſpem, & conſolationem adferre videtur, felicioremq; temporum rationem pollicetur, vt certiſsimum omen omnes concipiant, quod Te duce, & diuini Numinis deprecatore, iuſtiſsima Dei vindicis ira, benignè placabitur: Conſilijs Tuis prudentiſsimis, Regnum hoc tantis periculis agitatum fulcietur, prudentiâ deniq; Tuâ Hæreſes corruent, & diſcutientur vniuerſæ: Schiſmata fidem Orthodoxam, auidè complectentur: Sectæ Temerariæ Tuâ benignitate, ac prudentibus rationibus ſuperatæ, ad ſaniorē

niorem mentem misſis erroribus,& vanis ſuperſtitionib⁹ reuocabuntur. Quocirca Illuſtriſs: ac Reuerendiſs: Archipræſul, cum Tibi tantam, tamq; vberem ac glorioſam virtutum nobiliſsimarum comparaueris ſupellectilem, cumq; tantis fulgeas meritis, quibus & ampliſsimæ huic dignitati maximum ornamentum, & gregi vniuerſo perfectiſsimum documentum ſuggerere poſsis, vt Te puriſſimum ſuæ perfectionis ſpeculum intueatur, quodq; in ſe corrigat, & quod ſequatur, eligat: ingredere fauſtis ominibus, hanc Tuam ampliſsimam, honoris auguſtiſsimi Cathedram: conſcende bonis auibus nobiliſſimum hoc virtutum Tuarum theatrum: poſſide eminentiorem Eccleſiæ ſpeculam: ex qua diligentiſsimè proſpicias, ne impietas opprimat Religionem, aut confuſio interturbet bonum ordinem, aut malitia eliminet ſanctitatem, aut liuor ſubuertat æquitatem, aut candori noceat adulatio, aut innocentibus fraudulenta pſeudopoliticorum inſidietur improbitas. Erige (vt facis) magnanimum & heroicum Tuum animũ, magniſq; ſemper rebus geſtis probatũ, & contra audaciſsimos Hęreſiarcharum inſultus atque impetus, Te oppone & obijce: qui velut turbines Remp. ſæpius noſtram quatiunt, conatus optimorum Ciuium interturbant, conſilia bona impediunt, ab ouiliq; Tuo auocant & auellunt. Time ô Schiſmatica impietas, time inquam plenum animi, plenum conſilij, plenum diuini zeli Antiſtitem, qui fortiſsimè pro Religione, pro Eccleſiæ Catholicæ immunitate, contra ſuperſtitioſam perfidiam, ſcelere & temeritate armatam, ſolet dimicare.

Nemo in ouili suo lupus, nemo improbus, aut in aliquod dedecus proiectus homo reperiatur: seuerè enim diuinam omnem iniuriam vlciscitur. Vitæ probitas & innocentia, morum grauitas & continentia, bonæ literæ, omnis deniq; honestatis ornamenta, sub huius Archipræsulis præsidio, fide, patrocinio, tutissimè, suauissimèq; conquiescent. Quare Te Illustriss: & Reuerendiss: Archipræsul, meritò tantis bonis cumulatū salutamus, meritò nos læti & alacres in Tuum paternum & amabilem conspectum effundimus; dumq; Crucem, quę Tibi præfertur, magni imperij sceptrum, authoritatis insigne, imbecillitatis nostræ præsidium, intuemur, omnes Tibi intimis ex animis, fausta & fælicia omnia comprecamur: atq; adeo feruentissimis precibus oramus, & efflagitamus, à Deo Opt: Max: Numine benigno compleat mentem tanto Senatore dignam, quam ipse dedit: det vitam animo, corporiq; florentem, quam mereris: omnibus consilijs Tuis, quæ pro Ecclesia & Repub. suscipies, ipse præsens adsit, actiones & negotia Tua dirigat, lætissimoq; fine concludat; amplissimæ deniq; dignitati Tuæ, gloriam omnem & felicitatem circumfundat: vt his Tuis præstātissimis animi dotibus, quàm diutissimè fruaris, ad Ecclesiæ Orthodoxæ ornamentum, Regni & Reipub. subsidium, Tuæ Gentis augustissimæ, & omnium amicorum solatium, ac emolumentum longè maximum. Non enim quicquam poterat contingere tantis virtutibus illustrius, quàm hic ipse summus honor: non continuis in Repub. laboribus melius, quàm dulcis requies, & in hac

ætatis

ætatis maturitate honestissimum cum summa authoritate ocium: non præclarissimis meritis dignius, quàm amplissimum virtutis præmium, & illa Palęstra dignitatis, in qua defenderes, Ecclesiæ Catholicæ immunitatem: Serenissimi Regis ac Domini nostri clementissimi, promoueres authoritatem: Patriæ & Reipub. tuereris integritatem: sartam tectamq; nobilitatis conseruares libertatem: omnibus vero ijs, qui pietatem & eruditionem propagant, promptum & benignum Tuum patrocinium testarere: Academicas deniq; Camænas in hac Colonia, Paterno affecto complectereris. Hoc est æternum Tuæ gloriæ monumentum, qui nobilissimis maiorum Tuorum exemplis, literarum præstantiam, virtutibus clarissimis adiunxisti, vt & nostræ Academicæ Musæ genium inde hauriant nobiliorem, obsequijsq; Ecclesiæ ac Reipub. accomodatiorem; & gratissimæ posteritatis linguæ fateantur, quod Metropolitano Leopolien. Gimnasio, aut PROGHNICIANA bonitas præstare voluit, aut aliorum prompta liberalitas cæpit exequi, Illustriss: STANISLAI GROCHOWSKI, Archiep. laudatissimi, beneuolentiam, pietatem, sapientiam, magnanimitatem, ad sempiternam nominis immortalitatem perfecisse.

DIXI.

Cracouiæ, In Officina Francisci Cæsarij, Anno 1635.

